



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXCII. An possit Angelus esse in loco indiuisibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tamen argumenta proponit questione illa 6. §. Adpropositum, quibus probare nititur, Angelum non posse esse in loco minori, & minori in infinitum.

1. argum.

Primum est, si Angelus posset esse in minori, & minori loco in infinitum, posset esse in magis arcto loco in infinitum, hoc est, in quadrangulo magis angusto: posset ergo Angelus esse in longiori quadrangulo in infinitum, & ita simul in celo, & in terra: imo in maiori quoque longitudine esse posset: quia ex 35. propositione libro primo Euclidis evidenti demonstratione constat, idem corpus, quod est in vno loco, posse esse in quouis alio æquali, verbi gratia, si corpus implet locum quadratum, implebit quoque quadrangulum æqualem, quatumvis latera coarctentur, hoc autem intelligitur, nisi figura obicit: poterit enim liquor aliquis ita crassus esse natura sua, vt non possit in quadrangulo nimis arcto collocari: ergo cum Angelus non habeat figuram, quæ id impediat recte poterit esse in quadrangulo magis, & magis angusto in infinitum.

Euclid.

Caetan.
1. resp. Caetan. admittitur.

Respondet Caetan. in hoc articulo bifariam. Primum propositionem Euclidis intelligi tantum de corporibus, quæ sua quantitate replent locum, non de Angelis, quæ solum præsentia substantiæ suæ in loco esse dicuntur. Et quidem demonstrationes de quantitate solum replente latera quadrati, & quadranguli procedunt. Deinde respondet, etiam si de spiritibus intelligatur, inde non colligi, Angelum posse esse in loco infinito, & ita nullum sequi absurdum, quia etiam si arctentur latera quadranguli, non sequitur pexuere ad quadrangulum infinitum. Ceterum licet actu dari non possit quadrangulus infinitus: quia tamen, vt demonstrat Euclides ibidem, crescere potest quadrangulus ille, vt ille, qui esset bipedalis, excederet longitudine celum, ex quo sequeretur, Angelum esse posse simul in celo, & in terra, quod Patres putant absurdum, vt capite præcedenti dictum est, ideo dicendum est, aliam esse rationem corporum, aliam vero spirituum, & demonstrationem Euclidis in corporibus tantum locum habere. Quare decipitur Maior loco citato, cum asserit, posse, coarctato illo quadrangulo, Angelum in eo ita perseverare, vt simul esset in celo & in terra.

2. argum.

Secundum argumentum, Alicuius virtutis est, constituere se in aliquo loco, & maioris in minori se collocare: ergo si in minori posset in infinitum, haberet virtutem infinitam ad hoc efficiendum. Respondet Caetan. posse se in minori loco applicare, non esse maioris virtutis in Angelo, sed id ex voluntate ipsius pendere, ex qua æque potest in vno, atque in alio loco consistere.

Respons.

3. argum.

Tertium argumentum, quando Angelus est in aliquo loco adæquato, totus est in toto, & totus in quavis parte, potest ergo totus manere in parte quacunque minima, alijs relictis, Respondeo, etiam si totus sit in quavis parte, & ideo non repugnet, esse in minori aliquo loco: si tamen aliunde postulat certam quantitatem minorem, vt ei applicetur, ratione modi, quem debet habere substantia illius, sicut anima postulat ratione animationis, non poterit esse in quavis minima parte, etiam si totus sit in quavis, quando simul in omnibus est, sicut anima rationalis. Fateor rationes magis suadere, Angelum posse in minori, & in

Edus solus.

ARTIC. II.

minori loco esse propria virtute: adhuc tamen non satis id nobis constat. De corpore Ch. 1. 1. 1. in Eucharistia, est alia ratio: hoc enim cum non sit propria virtute, sed virtute Dei, manebit in minori parte, & minori in infinitum, in qua possit panis substantia conservari, & Angelus similiter, si virtute Dei collocetur, an vero à se ipso ad minorem, & minorem locum possit se applicare, non est manifestum.

DISPUT. CXII.

An possit Angelus esse in loco indiuisibili.

Dua sententia Scholasticorum opposita. cap. 1.

Sententia Scoti. cap. 2.

Quare Angelus, qui mouet calum, non sit in toto, sed in aliqua parte illius. cap. 3.

CAPVT I.

Dua sententia Scholasticorum opposita.

DE loco indiuisibili, hoc est, de puncto mathematico, dissentiant quoque Theologi. Prima opinio est Sancti Thomæ in hoc articulo asserentis Angelum posse esse in loco indiuisibili, hoc est, in puncto, quem sequuntur Ricard. in 2. 2. d. 2. articulo 2. questione 1. Capresol. questione 1. articulo 1. conclus. secund. Bassulus quest. 4. artic. 2. Finesius quest. 3. contra gentes cap. 66. §. 5. Ad rationem principalem, Caetan. & recentiores multi Theologi in hoc articulum; verum in fundamento, & ratione illius non conueniunt. Ricardus, cum asserat Angelum esse in loco per suam substantiam tantquam per fundamentum, vt vidimus disputati, cap. 6. ea ratione docet, Angelum esse posse in loco indiuisibili, quia in se simplex est, hoc est, indiuisibilis, & absque extensione: quid ergo mirum, si substantia loco indiuisibili & puncto (scilicet) respondet? At Sanctus Thom. & alij, qui docent esse in loco per operationem, sicut per applicationem suæ virtutis, vt ibidem cap. 2. & 4. regulimus, ideo asserunt, Angelum posse esse in loco indiuisibili, quia non est in toto corpore quod mouet, sed in ea parte, per quam primo suam virtutem applicat, vt in ceteris deriuatur. Et quia potest applicare illam per punctum, & per partem diuisibilem, ideo in puncto recte potest locari, sicut vnum corpus per punctum potest aliud mouere, si per punctum tantum ipsam contingeret.

Secunda opinio magis communis est eorum, qui affirmant Angelum non posse esse in puncto corporis. Hec fuit Alexan. 1. part. quest. 3. 6. memb. 2. Bonauent. in 2. dist. 2. part. 2. artic. 1. quest. 3. Gab. quest. 1. artic. 3. dub. 2. Gregor. 9. artic. 2. ante 2. 2. 2. quod ibi proponit, Maior. 4. 9. Aegidius in 2. dist. 3. 2. par. art. 1. quest. 2. Osimi quodlibet. 1. quest. 4. Maior. in 2. 2. 2. quest. 1. artic. 2. post quintam conclusionem verum neque hi Doctores eodem fundamento nituntur, que hi Doctores eodem fundamento nituntur, Alex. & Bona. ita docuerunt, quod existimant, locum corporeum debere esse diuisibilem, & esse alicubi, atque in loco corporeo esse, pro eodem reputant: in puncto autem esse, & nullum esse, non differre. Reliqui vero, quos allegauit præter Aegidium, eam sententiam fuerunt secuti, quia arbitrati sunt, punctum indiuisibile esse ipsam

corpore quatenus non esse, nisi sola assignatione, & imaginatione assignationem autem tantum contractu alicuius corporis fieri possit: cum ergo hic disputemus de existentia Angeli reali, & hæc esse nequeat, nisi in aliquo reali, consequitur ipsum in puncto non esse, quando neque sua substantia ita corpus tangere potest, ut in eo punctum assignet. Denique Agidius, cum doceat Angelum esse in loco per operationem, ideo asserit, in puncto non esse, quia in puncto nequit operari. Deinde, etiam si per operationem non esset in loco affirmat in puncto esse non posse. Dupliciter enim aliquid in alio esse dicitur, aut quia est intra ambitum illius: & hoc modo Angelus non potest in puncto locari, quoniam punctum ambitum nullum habet: aut quia est in essentia illius illud conservans; & ita solus Deus est in rebus: quare hoc pacto Angelus in puncto esse non poterit.

CAPVT II.

Sententia Scoti.

Scotus autem in 2. dist. 2. qu. 6. §. Ad propositum, cen-
set, nihil in hac re compertum esse. Res enim est à sensu valde remota, & reuelatione nihil nobis constat rationeque physica, quæ pro utraque parte affertur, infirmæ sunt. Primum quidem rationes, quibus primæ sententiæ Doctores probare nituntur, Angelum aliquando in puncto locari, id non satis inuadent, præsertim si eorum principijs insistantus. Nam vel Angelus constituitur in loco per operationem transeuntem, vel per applicationem virtutis ad operandum, vel per aliquid, quod habet modum operationis transeuntis, vel per modum additum ipsi, vno enim ex his modis posset in puncto locari, nam si in loco esset eo modo quo putauit Durand. nequaquam posset in puncto esse, cum ex illius opinione aperte sequatur, Angelum in toto esse vniuersi, atque in nullo modo ex actis in puncto esse posse, satis probatur: ergo nihil pro hac opinione certi habere possumus.

Primo, si Angelus per operationem esset in loco, vel per applicationem ad operandum, hoc est, per virtutem deriuatam ad operandum, potius sequitur, necessario in parte diuisibili esse debere, nulla etenim operatio, aut virtus deriuata ab Angelo, in puncto recipi potest, quod si operatio in punctum deriuari nequit, neque Angeli applicatio ad operandum, ad punctum referri potest. Hac ratione vitur Agidius contra eos, qui putant, Angelos per operationem esse loco præ-
sentes.

Respondent nonnulli, etiam si actio nequeat recipi in puncto, potest tamen per punctum corpus moueri: & quia Angelus potest per punctum virtutem suam toti corpori applicare, ut per illud dicatur corpus moueri, ideo Angelus in puncto esse potest, siue sit in loco per operationem transeuntem, siue per applicationem ad operandum. Verum quamuis mouens corporatum possit mouere corpus aliud per punctum, vel per superficiem, quia, ut moueat, debet tangere mobile, ut tactu quantitatem imprimat motum, vel impetum, qui est causa motus, tactus autem quantitatis vel potest esse in puncto indiuisibili, vel debet necessario esse in superficie, quia secundum profunditatem tactus fieri non potest: tamen Angelus per punctum nequit corpus mouere. Si enim
Videtur in 1. p. tom. 2.

id fieri posset, maxime, quia per punctum tangeretur: at tangere in puncto non potest: primum non tactu quantitatibus, quia Angelus quantitatem non habet: præterea non tactu virtutis, seu operationis, quia nullus eius effectus recipi potest primo in puncto, ut per illud in reliquum corpus deriuetur: ergo nequit Angelus corpus per punctum mouere: aut explicent nobis, quomodo virtus, seu operatio Angeli toti corpori per punctum possit communicari.

Hac ratione non solum probatur, Angelum non posse esse in puncto indiuiduo corporis, verum etiam neque in parte aliqua determinata totius, quod mouetur, nisi dicamus, corpus ab Angelo moueri qualitate aliqua impressa, quæ dicitur impetus: quoniam si sola sua voluntate Angelus mouet corpus ad locum, adde, si placet vel media potentia exequente, quam aliqui à voluntate frustra distinguunt, motus totius mobilis, nec prius tempore, nec prius natura, aut casualitate recipitur in una parte, quam in alia: loquor autem de corpore solido & permanenti: nam si fluidum sit, facile potest vna pars prius tempore mota deinde aliam mouere: itaque si corpus solidum & permanens sit, non potest in vna parte prius recipere motum, quam in alia, sed æque in omnibus diffunditur: aut ostendant nobis, quomodo vna pars mota, sit causa motus alterius. Fateor quidem, dum mouens est corporeum, per vnam partem reliquas mouere, vel quia per tactum vnius ceteras impellit, vel quia tactu illo qualitatem aliquam ceteris imprimit, si in aliqua determinata primo illant producit: nam si serpit, ut calor, nec est prima pars mobilis ea qualitate affecta, sicut neque prima pars calefacta, non dicitur etiam ratione qualitatis per aliquam partem determinatam, sed indeterminatam mouere: at motus secundum locum certe non ita diffunditur: neque enim in aliqua determinata parte primo recipitur, nec paulatim serpit ut calor, sed æque in omnibus partibus mobilis incipit, ut apparet in orbis, qui circulo vertitur, & in quouis alio corpore proiecto.

Porro Angelum, propter motum secundum locum, imprimere posse impetum aliquem, qui possit esse causa motus, mihi maxime probabile est. Nam quid aliud efficere potest in corpore graui quod suspensum in aëre detinetur? Cum enim nullo impedimento detineatur, nec motus illius cesset per solius concursus negationem, sicut à Deo possit impediri, quia Angelus nullum potest negare concursus necessarium ad motum grauis, efficitur, ut aliqua positua operatione Angeli detineatur: hæc autem non est motus secundum locum, quia supponimus detineri quiescens, quid ergo aliud est: potest, quam impetus, ita sane moderatus, ut nec superet grauitatem, & sursum corpus moueat, nec ab ea superetur, ut corpus deorsum moueatur, sed suspensum quiescat? Nihilominus puto necessarium non esse impetum impressum distinctum à motu, ut Angelus possit corpus mouere.

Hoc autem supposito, difficile mihi est, quæ ratione dixerit Sanctus Thomas, Angelum cæli motorem, esse in ea parte determinata, quæ motum toti corpori imprimit, hoc enim fieri nequit, nisi Angelus sit in loco per impressionem impetus in parte determinata, atque multo minus intelligo, quo pacto verum esse possit, quod

Angelus non
potest in pun-
cto effectum
producere.

quod Aristot. dicit 2. de celo, capite 2. eam partem in celo esse dextram, à qua incepisset celum moveri: si motus non fuisset æternus, in motu enim orbis non apparet, quæ pars potuerit prius moveri, non solum tempore, sed neque causalitate & natura, nisi ponamus intelligentias celos animantes, & in aliquam partem virtutem peculiarem ad motum imprimentes, quod ipse Aristot. videtur sensisse, ut disp. 183. cap. 1. notauimus, vel asseramus, angelum assistentem prius imprimere impetum in vnam partem orbis, ut moueat, quam in aliam.

Secundo, si angelus esset in loco per aliquid, quod se haberet ad modum transeuntis, ut si præficeret, aut custodiret nescio qua ratione in puncto esse posset, ad quid enim custodia, vel attentio præfidentis, vel aliquid huiusmodi ad punctum solum dirigeretur, aut dirigi posset? Nam quamuis angelus possit cogitare punctum non cogitando reliquas partes, tamen custodire, aut præfidere, aut quid simile efficere nequit, nisi circa totum corpus, vel explicent nobis hunc modum operationis circa punctum, quæ operationi transeunti assimilatur.

Tertio, si angelus sit per nudam substantiam, vti hic dicebatur, etiam si sit indiuisibilis, non proinde sit, ut in puncto, quod in continua quantitate positum est, possit locari, nam ut optime notauit S. Thom. in hoc articulo vtriusque indiuisibilitas est diuersæ rationis, nec villo modo mutuo sibi respondet, ergo non oportet, ut indiuisibilitas angeli in puncto lineæ possit constitui, quod si existentia angeli in loco oriretur ex nuda substantia, ut aliqui putant, & quia substantia indiuisibilis est, posset esse in puncto, sequeretur semper in puncto debere locari, sicut quia existentia in loco pedali sequitur pedalem quantitatem, semper necessario in tanto loco debet esse, aut ergo indiuisibilitas substantiæ angeli non potest postulare sibi punctum pro loco, aut semper debet illud postulare. Propterea Scotus, qui dixit, angelum esse in loco per suam substantiam nudam, existimauit inde non probari, in puncto posse constitui, quia inquit, indiuisibilitas angeli non est limitata, intelligit, sicut est punctum in continuo. Hactenus probauimus, non satis monstrari, angelum in puncto esse posse, etiam si sequamur opiniones, quas supra confutauimus de fundamento existentie angeli in loco, quinimo licet ex aliquo illorum recte sequeretur existentia angeli in puncto, id tamen absolute asserendum non esset eo quod ex falso fundamento colligeretur.

Quod si nostram sequamur sententiam, quam disp. 188. c. 7. exposuimus, angelum nempe in loco constitui ratione alicuius modi additi suæ substantiæ pro nutu & voluntate suâ, adhuc mihi cõpertum non est, in puncto posse locari. Quis enim scire potest, an modus ille imitatur naturam habere debeat ad partem corporis diuisibilem, & ei solum substantiam Angeli vniat, vel vnire etiam possit puncto? pro neutra quidem parte contradictionem video, ob id tamen nullum fundamentum habeo, ut aliquid affirmem.

Hactenus ostendi fundamenta primæ sententiæ infirma esse. Deinde reliquum est, ut idem de fundamentis secundæ monstremus, ut illa tertia Scoti sententia comprobata maneat, quæ affirmat, rem dubiam esse, nec satis definiti posse, Ra-

ditiones igitur secundæ sententiæ nullas esse momenti sic ostendo. Primo quidem Ocam, Gab. & Marfil. fundamentum negantium puncta in continuo, falsum est: & quamuis verum esset, quæstio solum procedit, supposito quod puncta essent, ea vero esse nunc breuiter ostendo. Primum de superficie extrema cuiusvis corporis hæcenus nemo dubitauit: at vero superficies intermedias, & puncta linearum, quæ sunt intra continuum, omnino enim linea est intra superficiem, negantur aliqui. Iam ergo saltem posset esse dubium, an Angelus posset esse in tota superficie, quæ in indiuisibilis est secundum profunditatem: & de hac idem indiciū ob eandem rationem esse arbitror. Sed ostendamus esse etiam puncta in medio corporis: nam si detur perfectæ planum, super quod sit perfectæ sphaericum, tangit sine dubio realiter tangens autem planum non secundum se totum, ut manifestum est: ergo aliquo sui vel ergo aliquo indiuisibili, vel aliquo diuisibili: non quidem aliquo diuisibili versus latum, & longum plani: hoc enim conuincunt Mathematici, quia aliqui non omnes linee ductæ à centro ad circumferentiam essent æquales, id quod eodem modo sequitur, siue dicant tactum esse in aliquo diuisibili determinato secundum latum, & longum: siue in aliquo indeterminato, & tunc sphaericum tangeret secundum aliquod sui diuisibile versus latum, & longum peritphæricæ: deinde factus ille versus profundum vtriusque corporis est idem per aliquam partem diuisibilem: habemus ergo indiuisibile versus omnem partem, quod est punctum. Quod enim nonnulli dicunt, tactum illam fieri per aliquam partem non determinatam, ridiculum est, nam cum tactus realis & determinatus sit, & notus secundum totum corpus, debet fieri aliquo illius determinato, ergo non sola assignatione sunt puncta, sed realiter, ut ita tactus etiam assignari possint, nam tactus realis est, nec assignatione & tactus efficitur id, quod corpora se tangunt, sed id, quod erat assignatur.

Secundo ratio Alexan. & Bonau. nihil probat, supponunt enim hi Doctores id, quod debere in terra, nempe id, quod in loco est, debere esse in aliquo diuisibili spatio, quamuis hoc manifestum est, si loquamur de existentia in loco ambientem de præsentia simplici alicubi, qualis est angelus, non est ita manifestum, sed est id, de quo nunc contro- uertimus.

Tertia ratio Agidij nihil etiam probat, si scilicet dicamus esse angelum in loco non ratione operationis: non enim recte enumerauit modos existendi in alio, cum ait, aliquid in alio esse aut intra ambitum illius, aut tanquam conseruantis illud: angelus enim est in loco, simplici tantum præsentia substantiæ suæ, nec oportet operari, ut in eo sit: quare hac ratione non recte monstratur angelum non posse in indiuisibili locari. Vnde igitur pars incerta manet, quamquam libenter fateor, nullam contradictionem inferri, si partem affirmantem sequamur.

CAPVT III.

Quare Angelus, qui mouet celum non sit in toto, sed in aliqua parte illius.

Reliquum est, ut explicemus, vtrum Angelus, qui mouet orbem, celsi, sit in toto, an in aliqua parte illius. Communis opinio fert, esse in toto.

An Angelus
possit esse in
puncto in cer-
tum est.

parte aliqua determinata orbis: ita S. Thom. in hoc art. Bonaventura in 2. dist. 2. 2. parte art. 2. q. 2. ad 2. Scotus quest. 3. 8. Præterea tertio, & Philosophi communiter: incredibile namque videtur, in toto cœlo Angelum esse: quia si totum cœlum adequatus locus Angeli esset, cum Angelus ille, qui mouet sit ex inferiori ordine: Archangeli, qui mittuntur & alij Angeli superiores maius spatium aut locum sibi adequatum postulerent, quare esse possent in cœlo, & in terra simul contra doctrinam Damasceni traditam supra disputatione 190. cap. 3. Maior namque longitudo, & latitudo est totius cœli, quam est inter cœlum, & terram. Difficile tamen est explicari, quomodo Angelus, si est in determinata parte cœli, fixus permaneat, neque cum ea moveatur, multo autem difficilius secundum opinionem eorum, qui affirmant, Angelum esse in loco per operationem, nam præterquam quod, ut supra dicebamus, potius esset in toto cœlo æque primo, quam in parte determinata, adhuc difficile explicaretur, quo pacto Angelus esset in aliqua parte, in qua continuo virtutem, & motum imprimeret, & cum ea non moueretur. Dicimus itaque, ratione illius modi additi substantiæ suæ, vni corpori, ne ipsum in toto orbe collocemus, operari tamen in toto orbe, sed non imprimendo aliquem influxum per vnam partem, nec hoc esse operari in distant & remotum, sine medio; non enim repugnat, Angelum in loco, in quo est, continuo per longum intervallum operari. Verum necessario videtur dicendum, Angelum continuo, & successiue mutare in se modum illum, ratione cuius vnitur corpori, ut fixus maneat transeuntibus nihilominus partibus cœli successiue, quibus in eadem quantitate, quatuor, aut quinque palmorum verbi gratia, continuo & successiue respondet, vel ad partem nostri orientis, vel alibi: quemadmodum si Angelus esset in parte aliqua alicuius fluminis, & continuo partes aquæ succederent, ut eis continuo & successiue vniatur quiescens, deberet in se successiue modum mutare: quod circa subest Angeli modus, quo successiue continuo corpori adit, & quo permanenter in eo locetur: id quod in disp. de motu Angelorum magis elucidabitur.

ARTICVLVS III.

Utrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod plures angeli possint simul esse in eodem loco. Plura enim corpora non possunt esse simul in eodem loco: quia replent locum. Sed Angeli non replent locum, quia solum corpus replet locum ut non sit vacuum, ut patet per Philosophum in 4. Physic. Ergo plures Angeli possunt esse in eodem loco.

2. Præterea. Plus differt Angelus & corpus, quam duo angeli. Sed angelus & corpus sunt simul in eodem loco: quia nullus locus est, qui non sit plenus sensibili corpore: ut probatur in 4. Physicorum. Ergo

Ubi quæritur in 1. p. tem. 2.

multo magis duo angeli possunt esse in eodem loco.

3. Præterea. Anima est in qualibet parte corporis, secundum Augustinum: sed demones licet non illabantur mentibus, illabuntur tamen interdum corporibus. Et sic anima & demon sunt in eodem loco. Ergo eadem ratione quæcunque alia spirituales substantiæ.

Sed contra, duæ animæ non sunt in eodem corpore. Ergo par ratione, neque duo angeli in eodem loco.

Respondeo dicendum, quod duo angeli non sunt simul in eodem loco. Erratio huius est: quia impossibile est quod duæ causæ completæ sint immediatæ vnius & eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum. Vna enim est forma proxima vnius rei, & vnum est proximum mouens: licet possint esse plures motores remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus nauem. Quia nullus eorum est perfectus motor cum virtus vniuscuiusque sit insufficiens ad mouendum. Sed omnes simul sunt in loco vnius motoris, in quantum omnes virtutes eorum aggregantur ad vnum motum faciendum. Vnde cum Angelus dicatur esse in loco per hoc, quod virtus eius immediate contingit locum per modum continentis perfecti, ut dictum est: non potest esse nisi vnus angelus in vno loco.

Ad primum ergo dicendum, quod plures angelos esse in vno loco, non impeditur propter impletionem loci, sed propter aliam causam, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod angelus & corpus non eodem modo sunt in loco. Vnde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod nec etiam demon & anima comparantur ad corpus secundum eandem habitudinem causæ, cum anima sit forma, non autem demon. Vnde ratio non sequitur.

CONCLVSIO est, Non potest nisi vnus Angelus esse in vno & eodem loco: hanc conclusionem ipse deducit ex suo fundamento, videlicet quia Angelus non est in loco, eo quod virtus eius locum contingit. Vtrumque tamen sequi disputationem examinandum est.

DISPUT. CXCVII.

An plures Angeli simul in eodem loco esse possint.

Plures Angelos non posse esse in eodem loco, etiam non adequato, Bonaventura & alij dixerunt. cap. 1. Resellitur præcedens sententia cap. 2. Plures Angelos in eodem loco adequato esse non posse, docuerunt Thomista. cap. 3. Verior sententia est, plures Angelos posse esse in eodem loco. cap. 4.